

minus unius Fori Sententiam sibi favorabilem consecutus fuerat: pro temerarie ac indebite Appellante censi non debeat; ac per consequens; neque ad sumptuum (nisi forte Causa eosdem refundi de natura sui exigat) neque ad Fructuum refusionem obstringatur.

§. 4. Caeterum, iidem sumptus et fructus, a die interpositae Appellationis, usque ad diem Executionis peragendae computandi; ac Judicialiter, vel statim in Regia Curia, vel secus (eadem ita deliberante) per Judicem Executionem; praevia sufficienti liquidatione, limitandi erunt:

§. 5. Respectuque Causarum Comitatus, tempus Appellationis, quantum ad praedictam refusionem sumptuum et fructuum; non in Partibus, coram Vice-Comite, aut Judice Nobilium factae; sed ejus primum, quae post Revisionem, in Sede Judiciaria Comitatus interposita esset; intelligetur.

§. 6. Praesensque Constitutio, ad illas quoque Appellatas, quae jam ad Curiam Regiam deductae quidem, nondum tamen decisae ibidem essent, eo modo extendetur; ut, si quis a dato emanationis praesentium Articulorum, intra decursum trium Mensium, Appellatae Suae, coram Tabula Regia Judiciaria cesserit; hoc ipsumque Parti Appellatae, sive per Juratum Notarium ejusdem Regiae Judiciariae (aut Respectu Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banalis) Tabularum; aut per Judicem Nobilium; vel saltem duas Nobilitares Personas, notificari curaverit; praedicto oneri refusionis fructuum ac sumptuum subjacere non debeat.

De Repulsione.

A r t i c u l u s 33.

Pro clariori Tituli 76. Partis Secundae Tripartitalis intellectu declaratur:

§. 1. Quoniam naturae Causarum brevis Processus repugnaret, ut eadem ex uno Termino in alium, facto Partium prorogentur; itaque remedium Repulsionis, non nisi Causis longae Litis, in Curia Regia discuti solitis (idque neutiquam in ultimo, sed anterioribus duntaxat earundem Terminis) competere posse;

§. 2. Id tamen de Repulsione proprie dicta, seu in quantum pro Juridico remedio sumitur; intellectum esto:

§. 3. Nam licet contextus praedicti Tituli, etiam in Casibus, aut non praehabita Citationis Judiciariae; aut Executionis, ad Bona Processui Judiciario non inclusa extensae; Repulsionem admittat; haec nihilominus Repulsio, neutiquam pro Repulsione formali, vel proprie dicta, sed potius (uti jam appellari consuevit) pro Oppositione sumenda veniret:

§. 4. Quae caeteroquin improprie dicta Repulsio, seu Oppositio, dummodo non fiat cum Gentibus; ex vi defensae naturalis, non in praedictis tantum casibus; sed etiam ubi Judex in Causa, evidenter intra Dominium tantum Transmissibili, Appellatam intra Dominium non admittit, verum Executionem intentat, in Causis etiam coram Pedaneis Judicibus vertentibus, absque onere, aut poena alicui admittetur:

§. 5. Ac per consequens, Articulus quoque 11. An. 1630. quoad Casus duntaxat illos, modo praemisso Oppositionem admittentes; non autem respectu Repulsionis proprie dictae; deinceps observandus erit.